



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. XIV. Ad evadendam propriam mortem illicitè das hostiam non consecratam pro consecrata, licitè contrahis Matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

Senit Lu-
go, si neces-
saria foret
infamia
suscipientis
ad evitan-
dam ejus
damnatio-
nem, posse
& debere
infamari.

223.
Non sequi-
tur tamen
ad evitan-
dam proxi-
mi damna-
tionem, posse
aliquem ip-
sum occide-
re.

si necessaria esset infamia suscipientis ad impediendam damnationem ejus aeternam; me posse & debere eum infamare.

Si arguas: Non possum alicui auferre vitam, abscindere membrum, auferre bona temporalia, ut vitam damnationem ejus aeternam; ergo nec auferre famam. Respondet negando Consequentiam; quia qui auferit famam in nostro casu, non habet se, sicut qui auferit positivè pecunias; sed sicut qui pecunias apud se depositas non custodit: habemus siquidem delicta aliorum occulta, quasi deposita in nostra scientia; quæ custodire debemus, ne proximus amittat suam famam: depositarius autem cum gravi detrimento non debet servare depositum, sed potest illud à se projicere. Sic possumus aliquando delictum occultum proximi manifestare ad vitandum detrimentum, v. g. ad vitanda gravissima tormenta, quibus ab eo extorquemur; quia non obligamur ad custodiendum depositum cum tanto detrimento. Non ergo est aliquis ita plenè dominus suæ famæ, sicut suæ pecuniæ; famam enim solum habet apud alios, qui sunt quasi custodes illius, atque adeo possunt ex gravi causa eam non servare: pecuniam verò habet apud se, quam nemo ab ipso invito positivè potest auferre. Hæc ille.

Cæterò fama est bona existimatio multorum de vita & moribus alterius; hæc autem censetur moraliter apud alterum existere, quousque nihil fecit, ex quo justè possit generari mala existimatio. Unde definiunt famam Jurisperiti: *Fama est illius dignitatis status, legibus & moribus comprobatus.* l. Cognitionem §. ff. de Extraord. cog. Quam proinde nemo ab ipso rationabiliter invito positivè potest auferre; quemadmodum nemo ab ipso rationabiliter invito positivè potest auferre pecuniam.

224.
Resp. S. Bonavent.

Aliter, & brevius respondet D. Bonavent. ad hanc objectionem: *Ad illud (inquit) quod obijcitur, quod non est reddendus gladius furioso, dicendum quod in iudicio reneretur reddere, si non constaret eum esse furiosum; & quia hic peccator in iudicio & facie Ecclesie petit, & non apparet suum peccatum, ideo debet ei dare.* Ita Doctor Seraphicus.

225.
Obiectio.

Obijcitur ultimò: Aliter potest Sacerdos vitare scandalum sive infamiam, ut si pro hostia consecrata daret panem benedictum: similiter si in alijs Sacramentis proferat formam sine intentione Sacramenti. Respondet S. Bonavent. *Ultimum patet: quia si deberet dare hostiam, nihilominus tamen peccaret ille, & ipse simulando, nisi fortassis ipse peccator hostiam peteret ad vitandam*

infamiam, & dominici corporis reverentiam.

Hæc responsio quoad postremam partem (quæ tamen non est assertiva, sed elumtaxat dubitativa, ut patet ex *ly fortassis*) à plerisque rejicitur (etiam illis, qui admittunt alia Sacramenta posse simulari ad evadendum grave incommodum.) idque non sine ratione, ut patebit ex conclusione sequenti; quæ talis est:

CONCLUSIO XIV.

Ad evadendam propriam mortem illicitè das hostiam non consecratam pro consecrata, licitè contra his Matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum.

Prima pars communiter probatur: quia datur occasio populo idololatriæ; esto Sacerdos ostendat adorandam hostiam consecratam, simul cum ea habens aliam non consecratam à tergo, quam solum det peccatori, conficere prius & consentienti. Primò, quia vix unquam potest fieri tale pactum cum peccatore. Secundò, quia moraliter impossibile est, quòd aliquis adstantium non adoret quando publicè datur, etiamsi illam non videat. Accedit, quòd ipsemet actus sumendi hostiam reverenter sit actus religiosus, & cultus quidam æternus, qui non solet nec debet exhiberi nisi veræ Eucharistiæ. Similiter & administratio.

226.
Prima ratio
Conclusio-
nis, quia da-
retur popu-
lo occasio
idololatriæ;

Hæc ratio displicet Vasquesio 3. parte disp. 209. cap. 4. n. 41. Non (inquit) quia Sacramentum debeat adorari sub conditione (hoc enim falsum est) sed quia sine periculo idololatriæ adorari potest imago Christi in cruce pendentis, etiamsi re ipsa dæmon ibi lateat, & operà solum ipsius illa appareat: quia idololatria non committitur sine expressâ intentione adorandi pro Deo id, quod reverè Deus non est. Ac proinde qui adoraret hostiam non consecratam, apprehendens cogitatione suâ ibi Christum, idololatriam non committeret. Ita Vasq.

Non placet
Vasquesio;

Resp. Bonavent.

Quam doctrinam Card. Lugo de Incarnatione disp. 37. sect. 4. n. 44. vocat difficilem; quia eâ positâ sequitur ferè nunquam dari idololatriam; ipsi enim Ethnici ideo adorant Jovem aut alium Deum, quia

227.
Cujus do-
ctrina appa-
ret difficilis
Lugoni;
quia eâ po-
sitâ vix un-
quâ daretur
idololatria.

existimant habere veram divinitatem; qui tamen error non obstat, quò minus ille cultus sit idololatria; quia licet moveantur à ratione sufficienti ad verum cultum, verè tamen colunt illud subiectum, in quo non est divinitas. Sic ergo qui adoraret hostiam non consecratam, existimans sub speciebus illis contineri verum Christum, quamvis propter ignorantiam excusaretur à peccato, committeret tamen veram materialem idololatriam.

Et ita intelligendus venit Doctor Subtilis, quando 4. dist. 11. q. 6. n. 2. in fine Scoti. ait: *Sed si in veritate non est ista materia consecrabilis, in consecrando nihil facit: nec tamen est idololatria, nec occasio idololatrie populo, quia quantum in se est, supponit materiam esse idoneam, & à se & ab alijs adorandam.* Ubi non intendit negare tali casu committi idololatriam materialem, sed solummodò excusat taliter celebrantem à peccato, propter ejus ignorantiam. Colligo: quia immediate ante dixerat: *Vtens forte potest magis excusari de peccato, quia supponit talem materiam esse bene preparatam.*

228. Dicasillo. Quidquid sit de mente Scoti, mihi sanè (inquit Dicasillo tract. 4. de Sacramentis disp. 9. dub. 21. n. 488.) non minus difficilis est Lugonis impugnatione, quam doctrina ipsa Lugoni. Quam difficultatem multis ibidem probat, quæ non libet nobis examinare, cum in fine dub. dicat magna ex parte questionem esse vocis potius, quam rei, & multos Theologos existimare ibi esse idololatriam materialem. Certum mihi est, non omnes Ethnicos, imò forte nullos apprehendisse in idolis veram divinitatem (sicuti apprehendunt Catholicus in hostia, quam putant verè consecratam) nesciebant quippe quid esset vera divinitas; sed propter tenuem speciem & umbram quamdam divinitatis, quam putabant veram, tribuebant cultum proprium veræ divinitatis illis rebus, in quibus non erat divinitas.

Quasi Est etiam concepissent veram divinitatem, nihilominus commississent idololatriam; quia cultum proprium veri Dei tribuebant alicui tanquam termino integro & objecto quod adorationis, in quo non erat illa divinitas. Denique peccabant; quia ob leves rationes putabant inesse divinitatem creaturis. Unde reverè non dirigebant cultum suum in verum Deum, sed in eum, quem stolidè & sine fundamento putabant Deum; sicut si quis aliquem ex plebe, imprudenter judicans ipsum esse Regem, adoraret loco Regis, talis verè non adoraret Regem, sed alium,

cui nefariè hanc dignitatem tribuit.

Hæc ergo ratione relicta, Valq. communem sententiam probat: quia fictio in Sacramentis valde perniciofa & execranda est. Quod fundamentum videtur expressisse in simili casu Innoc. III. in cap. de homine 7. de Celeb. Miss. *Quasvisis* (inquit) *quid de incauto Presbytero videatur, qui cum se sciat in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitare celebrare; peractisq; ceteris circumstantijs, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem & vinum tantummodo purè sumit: ita credens per id, quod pretendit, populo satisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare.* Spectatis casum, audite responsionem. *Cum ergo falsa sint adhibenda remedia, quæ veris sunt periculis graviora; licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter si se ingerat irreverenter ad illud: gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud presumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solum Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat.*

Sed reverè (ut bene notavit Dicasillo n. 491.) hic casus multum dissimilis est: nam, omisso, quòd nulla fuerit necessitas celebrandi fictè; poterat quippe & debebat Sacerdos ille per contritionem se disponere ad dignè offerendum Sacrificium verum; ut (inquam) illud omitam, in primis Sacerdos sacrificans sustinet personam ipsius Christi. Siquidem (ut loquitur Florent. in decreto Unionis) *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum, agit de Eucharistia; conferendo verò hostiam, personam propriam.*

Secundò, fictè sacrificando facit injuriam Christo, cujus nomine sacrificatur, & decipitur populus; quia privatur fructu Sacrificij, cui se putat assistere, & reverè non assistit: in nostro verò casu neque fit injuria Christo (ut patet) seclusà idololatrià; neque decipitur peccator, ad cujus petitionem datur hostia consecrata: populus quoque assistens nullo privatur fructu. Non ergo factis apparet, ex quo illa fictio valde perniciofa sit & execranda.

Profectò (ut omnes admittunt) licet, etiam sine peccato mendacij, adhibita debita restrictione mentali ex gravi metu contrahere Matrimonium cum impedimento jure humano vel divino irritante, quippe Christus per elevationem Matrimonij ad dignitatem Sacramenti non mutavit

219. Prohibio Conclutionis ex Valq. que: qua fictio in Sacramentis valde perniciofa est. Quæ & Innocentius III. in cap. de presbyteris fictè celebrantibus.

220. Sed (ut bene notavit Dicasillo) non est dissimilis in casu.

221. Licet cum adhibita debita restrictione mentali, cum impedimento a jure humano vel divino irritante, ex gravi

Sect. 7. De Ministro Sacrament. Concl. 14. 199

metu con-
tra here ma-
rimonium.

Casus, in
quibus
Joannes
Sanchez af-
firmat posse
simulari Sa-
cramentum
Eucharistia
& Pœnitentia.

tavit intrinsecam naturam contractus. Quis autem ambigat, absque gravi peccato, ad evitandam mortem, posse simulari contractum?

Quin etiam Joannes Sanchez in suis selectis disp. 36. n. 6. inquit: Si hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, nisi consecraret omnem panem in foro existentem, poterit proferre verba consecrationis, absque intentione tamen consecrandi, sine ulla labe mendacii: adest enim tunc iusta causa utendi æquivocatione.

Et n. 7. docet posse Confessarium proferre verba Absolutionis absque intentione, ob fugiendam mortem sibi minatam à penitente, si non absolvat (ut expressè docet Ludovicus de San. Joan. 1. p. Summ. tract. de Eucharistia q. 7. a. 8. diff. 4. fol. 167.) tunc enim iusta adest causa ad utendum æquivocatione. Sicut ille, cui minata fuit mors à latrone, nisi juret se daturum centum aureos, poterit verba juratoria exterius proferre absque intentione.

Immo (addit idem Auctor n. 8.) si scrupulosus quis anxie peat Absolutionem, videat tamen Confessarius usu rationis aut materiâ carere ad eam impertientiam, poterit ob solatium scrupulosi verba Absolutionis absque intentione proferre, dum aliâ viâ prolationem cavere non possit, ut si scrupulosus linguam calleret latinam, attentusque esset, an verba Absolutionis proferrentur, vel non. Hæc ille. De quibus impræsentiarum quia non disputo, ideo nihil definio; sed ad propositum nostrum

Quæro, an etiam Sanchez affirmet, licere Sacerdoti ministrare hostiam non consecratam pro consecrata mulieri, quam cogit maritus ad communicandum, quæ sine jactura opinionis non potest communionem omittere? Minimè; quidquid dicat Castro Palao tom. 1. tract. 2. disp. 1. p. 13. n. 8. Sic enim ait Sanchez supra n. 9. Id difficilius, an esto hostiam non consecratam loco consecratæ porrigere minimè Sacerdoti liceat, deceat tamen simulare se Eucharistiam in os illius immittere? Decere putat Henriquez lib. 6. c. 22. n. 5. ad vitandam infamiam accedentis ad communionem &c.

Porro de tali simulatione infra eodem numero loquitur Sanchez, dicens: si ad simulandum causa legitima adestet, ut si maritus minatus esset mortem uxori, nisi communicaret, quod videns illam communionis participem, suspensionem adversus illam conceptam abjiceret; aut si uxori esset

notum, maritum in Ecclesia illam observare, an communicet; vel minis, ad confirmandam contra eam suspensionem contractam; tunc poterit simulare Eucharistiam fulcipere, & sacramentaliter confiteri; genuflectens ad penitentiarj pedes. Hæc ille. Ex quibus apparet Castro Palao Sanchium non legisse, aut certè non intellexisse.

De cæterò quòd aliquando Sacerdos audiens confessiones in aliquo publico loco coram circumfusâ multitudine penitentium possit simulare se tunc absolvere penitentem, cui vel negat vel differret absolutionem, sive dicendo submissâ voce formulam deprecationis: *Miserere tui &c.* aut alias preces; atque adeò simulare Sacramentum; quò jure prohibeatur non satis apparere videtur, inquit Dicastillo supra. Nam (ut ibidem notat) in hoc casu non adhibetur forma Sacramenti; atque adeò non fit Sacramentum, quòd exterius habeat materiam & formam.

Similiter quando fidei contrahis Matrimonium, non profers formam Sacramenti super debitam materiam; quemadmodum in alijs Sacramentis; quorum materia & forma semper est determinata; ita ut exterius nequeant adhiberi subjecto capaci, quin sint ex se materia & forma Sacramenti; idque quia non admittunt propriam significationem aliam, quàm effectus sacramentalis; in Matrimonio verò etiam contractum significant, & solus legitimus contractus est tota essentia Sacramenti. Eo ipso ergo quo Ecclesia vel Deus irritat contractum, manet irritum Sacramentum; nec verba contrahentium sunt materia aut forma Sacramenti: & idcirco invalidè contrahens non peccat contra reverentiam Sacramenti; nec enim ipse illud irritat, nec ad irritationem cooperatur, cum illa verba non sint forma aut materia contractus validi; proinde neque Sacramenti; & quantum est ex parte sua validè contraheret, nisi Deus vel Ecclesia irritaret.

Atque hæc restrictione excusari possunt hujusmodi contrahentes à mendacio; verba siquidem illa: *Accipio te in meam*, pariuntur hunc sensum: quantum est ex parte mea accipio te, quod verissimum est; quippe non est irritum Matrimonium ex parte ipsius, sive defectu consensus ipsius, sed ex lege superioris. Ita Doctor Subtilis 4. dist. 29. q. unica n. 9. ibi: *Et per hoc posset responderi ad istud argumentum: iste scit se non transferre corpus suum, quia non libere consentit, & signo exteriori ostendit se trans-*

232.
Casus Di-
castillonis,
in quo Sa-
cerdos po-
test simula-
re se absol-
vere peni-
tentem.

233.
Quomodo
excusari
possint fidei
contrahen-
tes matri-
monium à
mendacio.

Scotus

transfere, quantum est in se; sed scit se non transfere, quia scit hac non ratiificari a superiore. Prosequitur: Et si dicas, ergo ad hoc quod non mentiatur, oportet dicere: Accipio te in meam, si Dominus permiserit. Respondeo: ista conditio semper intelligitur, quantumcumque sit absoluta locutio, & isto modo debet intelligi absolute verbum eius: Accipio te in meam, supple, quantum in me est, praesupposita violentia ista: & si Deus ratiificaret per talem consensum, qualem nunc habeo, traditionem corporis mei fieri, traderem tibi meum, & in tantum trado, quantum tradi potest per talem consensum.

234.
An possit confessarius in aliquo casu proferre verba absolutionis sine intentione.

Ex his satis liquet distinctio inter Sacramentum Matrimonij, & alia Sacramenta, quorum irritatio pendet à sola voluntate, seu intentione ministri. Matrimonio adiungunt aliqui Pœnitentiam; supposita quippe voluntaria indispositione pœnitentis, non est in libertate ministri conficere verum Sacramentum: vel ergo mori debet (ut supponitur in casu) quod durissimum apparet, vel potest proferre verba sine intentione.

Parum autem refert, quod pœnitens putet se absolutum; quia ethi absolueretur cum vera intentione, non esset absolutus. Et aliunde si dimitatur sine ulla Absolutione, periculum est, quod equidem postea non confitebitur, ac proinde non evitatur illud incommodum. Præterea talis pœnitens vel scit suam Absolutionem non valere, & nullum sequitur inconveniens; vel bona fide existimat valere, & postmodum confitendo cum legitima dispositione, ab illis peccatis indirectè absolvitur.

Cum ergo verba formæ Absolutionis sæpius sine intentione absolvendi liceat proferre, ut patet in Absolutione generali extra Sacramentum; immò in iplo Sacramento, sub conditione: Si pœnitens est dispositus; cur non etiam (saltem absque gravi sacrilegio) ad mortem evitandam, tamen est exterius aliquibus appareat verum confici Sacramentum? Hæc illi. Bene, an malè, judicent viri doctiores.

Atque ut in confectioe Sacramenti omnis fictio esset graviter prohibita, non propterea sequitur illam sic esse prohibitam in casu Conclusionis, in quo non conficitur Sacramentum, sed scienti & volenti in Dominici corporis reverentiam confertur hostia non consecrata pro consecrata. Quæ omnia manifestè declarant, quàm difficile sit, supposito quod non interveniat idololatria, convincere grave sacrilegium in tali simulatione.

235.
Dicastillo

Hinc Dicastillo post diffusam impugna-

tionem sententiæ Lugonis, tandem aliquando coactus illi adheret, solum distentiens in voce idololatriæ, nolens illas actiones externi cultus vocare propriam idololatriam. Sed parum curandum de nomine, quando constat de re, quæ juxta magis communem sententiam & judicium prudentum valde dissonat rationi; tutissimum autem est in hoc & similibus casibus sequi communem sensum fidelium, quamvis fortè evidens & convincens ratio nos lateat.

Sic ordinariè docetur, aliqua peccata facta in Ecclesia, puta tactus impudicos & similia, contrahere malitiam gravis irreverentiæ; quia populus graviter illis offenditur & scandalizatur: licet enim malitia scandalii videatur diversæ & per accidens, tamen indicat propriam malitiam, quando sub illa movet actus ad scandalum. Profectò gravitas vel levitas materiæ non solum desumenda est ex lege positiva, sed etiam sæpe ex prudenti ratione, judicante per legem naturalem. Perro prudens ratio gravem judicat irreverentiam in administratione hostiæ non consecrata loco consecrata, undecumque illa gravitas proveniat. Hæc est communis sententia, à qua judico in praxi non facilè recedendum.

Quæro autem ulterius: Ab Ordine & Matrimonio publicè repelli potest indignus? Respondeo:

CONCLUSIO XV.

Ab Ordine & Matrimonio publicè repellitur, cujus impedimentum occultum potest probari. Ordinariè tamen licet Matrimonium cum peccatore.

PER impedimentum intelligo tam irritans, quàm solum impediens. Atque in primis quod attinet ad Sacramentum Ordinis, Prælati Ecclesiæ ex officio incumbit inquirere de idoneitate promovendorum seu ordinandorum; quippe collatio Ordinis aut beneficiorum non est merus actus pascendi, quemadmodum alia Sacramenta; sed est actio juridica, vel saltem Gubernatoris & Principis, ad quem spectat eligere ministros idoneos. Sibi ergo impudent si rejiciantur cum infamia, cum ingerant se contra publicam utilitatem in ea munia & officia, ad quæ non sunt idonei, sive ex jure naturali, sive etiam ex solo jure

236.
Prælati Ecclesiæ ex officio incumbit inquirere de idoneitate promovendorum.